

in rebus mobilibus aut immobilibus habebat, videlicet in servis et ancillis, arvis, domibus, villis, terris cultis et incultis, viis et inuis, silvis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, exitibus et redditibus, et in reliquis quocumque modo possunt provenire, utilitatibus, Ecclesie Dei, et beatissime eius Genitricis Mariae, et beati Petri Apostoli in Gerdine consensu legitimorum heredum suorum in nostra presentia, et in communi conventu populi, sub banno Regis libera traditione ad communes usus Deo inibi servientium donavit. Nomina villarum et domorum hæc sunt. Bernichusen, Rinxstinchusen, Theneshem, Brachmunitionem cum omnibus pertinentiis suis, Bist, Luitwardessen, Walderinchtorp, Hestene, Wiminitorp, Werneßem. Considerans autem non satis sibi integrum fore, si sua Deo offerret, se ipsum verò subtraheret, juxta illud, si rectè offeras, rectè autem non audivas, peccasti, paucis postmodum diebus interpositis se ipsum una cum consorte sua Beatrice tam genere, quàm moribus egregia in eodem Cœnobio virum holocaustum Deo obtulit, et ut his omnibus supremam manum imponeremus humillimè postulavit. Nos verò fidelis viri piam devotionem benigno favore prosequentes, et pro qualitate meritorum spem æternæ retributionis apud divinam misericordiam exspectantes, prætaxata illa prædia cum mancipiis suis omnibusque appendiciis suis in tuitionem et protectionem nostram recipimus, et pro debito officii nostri Ecclesiastica defensione defendimus, tuemur et conservamus, auctoritate Dei, et beati Petri, et banno Episcopali securitatem et pacem præfato Cœnobio in his prædiis lege in perpetuum valitura confirmamus, perpetuo anathemate innodantes eos, qui hæc dona fidelium, redemptiones animarum, quovis malo ingenio, temerario ausu alienare, aut irritum revocare præsumpserint. Præterea collata sunt quadam ab aliis prædictæ Ecclesie: una domus in Nedere, una in Luiboldessen, una in Willebusen, una in Burch, una in Pikilissen; quadam pecunia Ecclesie sunt comparata, una domus in Northen, una in Willenhusen, una in Heckelessen, ibidem decima super novem mansos, una domus in Radolveshem. Hæc itaque bona præmissa et cætera omnia à prima fundatione conquistata, vel in posterum conquirenda, cum omnibus suis privilegiis, huic actioni nostræ includimus, et Ecclesie Dei in Gerdine sub divini examinis comminatione in perpetuum confirmamus. Hujus autem rei veritas, ut rata et inconvulsa omni tempore permaneat, hanc cartam inde conscribi et sigilli nostri impressione firmari, et testes subternotari præcepimus, quorum nomina sunt hæc. Cunradus Corbeiensis Abbas, Henricus Dux Bavarie et Saxonie. Canonici de domo, Sifridus major Præpositus, Bernhardus, Herebertus, Altmannus, Folcbertus, Meinricus, Reinherus. Henricus Patherbornensis Abbas, Franco Liesbornensis Abbas. Liberi, Folcwinus et frater ejus, Widekindus de Swalenberg, Athelbertus Comes de Everstein, Bernhardus de Lippia, Craph et Isfeith de Groven. Ministeriales Cunradus Stapel, filii ejus, Manegoldus, Hereman, Rudolf, Widerolt, Andreas, et Conradus frater ejus, Hugo, et Hugo, Lombart, Cunrad et frater ejus, Bertholt, et alii complures. Acta sunt

sunt